



Lingva Avrea Christianorvm

Ruben, Leonhard

Padibornae, 1606

Capvt 59. Centum viginti quinque vitia, quæ ex labijs, lingua, ore, sermone, verbis oriuntur, & cuius Christiano homini vitanda sunt, ordine Alphabetico traduntur.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56433)

audientibus. Vide plura n. 13. Huic præcepto insistentes, trademus primò ea quæ mali loquuntur, & quæ ad os, labia, linguam, sermonem & verba spectant malorum, capite sequenti 59. 125. numeris & qualitatibus. Deinde ea quæ boni loqui debent, quæq; ad eorum sermonem & linguam spectant cap. 60. centum septendecim numeris, & qualitatibus, idq; ordine Alphabetico.

CAPVT LIX.

Centum viginti quinque vitia, quæ ex malorum labijs, lingua, ore, sermone & verbis oriuntur, & cuius Christiano homini vitanda sunt ordine Alphabetico traduntur.

A.

A.

1. Alienæ mulieris os seu lingua, est fouea profunda. Hinc Prou. 22. 14. *Fouea profunda os aliena: cui iratus est Dominus, incidet in eam.*

2. Os Alcimi periuri Iudæi, qui adepto Sacerdotio, Mach. 9. 54. ore suo. *Præcepit destrui muros domus sanctæ interioris, & destrui opera Prophetarum: & cœpit destruere. In tēpore*

illo

illo percussus est Alcimus, & impedita sunt opera illius, & occlusum est os eius, & dissolutus est paralyti, nec ultra potuit loqui verbum, & mandare de domo sua. Et mortuus est Alcimus in tempore illo cum tormento magno. Hæc notent qui nostro tempore, templa spoliant, & euertunt, & quod qui insidiatus est domui Dei, de sua minimè disponere potuit.

3. Alti sermonis populus, de quo Isai. 33. 19. *Populum imprudentem non videbis, populum alti sermonis: ita ut non possis intelligere discretitudinem lingue eius, in quo nulla est sapientia.*

4. Os amaritudine & maledictione plenum, ut est Ps. 13. 3. Ro. 3. 14.

5. Antichristi os, quod loquitur ingentia, ut dicitur Dan. 7. 8. & vers. 20. grandia. Apocalypsis verò 13. 5. *Datum est ei os loquens magna, & blasphemias.* Vide & literam E. num. 2.

Antichristi
os.

6. Appropinquant Deo ore, cor verò eorum longè abest ab eo. Isai. 29. 13. ore benedicunt, Psalm. 61. 5. corde maledicunt. De quibus & Psalm. 77. 36. *Et dilexerunt eum in ore suo, & in lingua sua mentiti sunt ei, cor autem eorum non erat re-
rum cū eo.* Et Ieremias inquit. 12. 2. *Prope est Dominus ori illorum, & longe a renibus eorum.*

7. Apostatæ, huius os & lingua quanta mala pariat videre est <sup>Apo-
statae
os.</sup> Prou. 6. 12. vbi sic legimus. *Homo apostata vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat. Huic extemplo veniet perditio sua, & subito conteretur, nec habebit ultra medicinam.*

8. Arcus mendacij lingua maiorum. Vnde Ieremiæ 9. 3. *Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, & non veritatis, conforta-*

ti sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, & me non cognoverunt, dicit Dominus. Versu verò 5. sic ait. *Vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquetur: docuerunt enim linguam suam loqui mendacium: ut iniquè agerent, laboraverunt.*

9. Assidua lingua, de qua ex Eccli. 37. 21. infrà litera N. num. 3.

10. Assumentium linguas suas ad prophetandum, de quibus Ier. 23. 31. 32. vt litera P. num. 6.

11. Auguratricis filiorum in adulteri seminis lingua. Isa. 57. 3. 4. vt litera S. n. 3.

B.

B.

1. Ex litera hac primò fit blanda lingua extraneæ, à qua mandatù, lex, lux, & increpatio disciplinæ nos custodient, sic enim dicitur Prou. 6. 23. *Mandatam lucerna est, & lex lux, & via vite increpatio disciplina, vt custodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ.*

2. Blanda

2. Blanda lingua, aliorum qua decipimur. Prou. 28. 23. *Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet, magis quam ille qui per lingua blandimenta decipit.* Talis enim rete expandit gressibus aliorum, Pro. 29. 5. *Homo qui blandis fictisq; sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius.*

3. Lingua blasphemantium, qua dicitur imitari Iob cap. 15. 5. *Quod non est ita, sed ea vtetur Antichristus, vt litera A. num. 5. diximus. Qualis & lingua Alcimi, vt litera A. num. 2. & Nicanoris litera N. num. 6.*

C.
Ex litera C. primi sunt, qui in caelum ponunt os suum. De quibus, Psalm. 72. 8. 9. *Cogitauerunt & locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelsis locuti sunt, posuerunt in caelum os suum, & lingua eorum transiit in terra.*

2. Quorum sermo ad cancri similitudinem serpit, de quibus, 2. Tim. 2. 17. 18. vt diximus cap. 58. num. 1.

3. Cauponis labia, de quibus Eccli. 26. 28. *Duae species difficiles, & periculosa mihi apparuerunt. Difficile exiit negotians à negligentia: & non iustificabitur caupo à peccatis labiorum.*

4. Lingua concinnans dolos: sic peccatoris lingua, de qua Psal. 49. 19. dicit Dominus. *Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.*

5. Coinquinata lingua, à qua Deus liberauit Ecclesiasticum, Eccli. 51. 7.

D.

D.

Ex hac litera primò sint, labia & lingua detractoris, de quibus Prou. 4. 24. *Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te.* Sap. 1. 11. *Custodite vos à murrura-*

tione,

tionem, qua nihil prodest, & à detractione parcite lingua. Quam debemus dissipare per faciem tristem, iuxta id, Prou. 25. 23. *Ventus aquilo dissipat pluias, & facies tristes linguam detrahentem.* Vide plura capit. 12. numer. 2.

2. Dilatantis labia, de quibus id, Prou. 20. 19. seruandum. *Et qui reuelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis.*

3. Diuitum, qui labia torquēt: Vnde Prou. 19. 1. *Melior est pauper qui ambulat in simplicitate sua, quam diues torquens labia sua, & insipiens.*

4. Sub qua dolor & labor, qualis lingua peccatoris. Psal. 10. 7. *Cuius maledictione os plenum est, sub lingua eius labor & dolor.*

5. Dolos concinnans, vt peccatoris. Psalm. 49. 19. vide literam C. num. 4.

6. Dolosa lingua, quam dicunt

impij

impijà se esse. Psalm. 11. 5. qua lo-
 quuntur aduersus Dauidem, Pfal.
 108. 3. à qua idem cupit liberari.
 Psalm. 119. 2. 3. qua diligunt verba
 præcipationis. Psalm. 51. 6. Qua
 dolosè agunt, quos iudicabit Do-
 minus, Psalm. 5. 10. † 13. 3. Rom. 3.
 13. Quæ labia debent fieri muta.
 Pfal. 30. 19. Quam disperdet Do-
 minus, iuxta id. Pfal. 11. 3. 4. *Va-
 na locuti sunt unusquisq; ad proximū
 suum: labia dolosa in corde, & corde
 locuti sunt. Disperdat Dominus uni-
 uersa labia dolosa, & linguam ma-
 gniloquam.* Vide plura capite 16.
 num. 2.

7. Draconis os, de quo Apoc.
 16. 13. exierunt tres spiritus immū-
 di per modum ranarum, vti di-
 ximus etiam superiùs capite 11.
 num. 1.

8. Dulcia, qualia hæreticorū,
 de quibus Rom. 16. 17. *Rogo autem
 vos fratres, ut obseruetis eos qui dissen-*

siones

siones & offendicula præter doctrinã, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Huiusmodi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri: & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Quamuis & bonorum & dulcia esse, dicemus. cap. 60. licet sub alia consideratione.

9. Duplex lingua, in qua probatur peccator secundum id, Eccli. 5. 11. *Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam: sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua.*

10. Dura verba, quæ suscitant furorem. Hinc Prou. 15. 1. *Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitatur furorem, qui non est iterandus iuxta id, Eccli. 19. 7. Ne iteres verbum nequam, & durum, & non minoraberis.*

E.

Primùm est exaltantis os, de

E.

quo

quo Prou. 17. 19. *Qui meditatur discordias diligit rixas: & qui exaltat os suum querit ruinam.*

2. Contra excelsum Deū, scilicet sermones. Sic de Antichristo dicitur. Dan. 7. 25. *Sermones contra excelsum loquetur.*

F.

F.

Primum hīc est fatuorum os, quod Prou. 15. 2. ebullit stultitiam: ex quorum ore reprobatu parabola, Eccli. 21. 29. in corde sapientium os illorum est. Vide plura in litera I. num. 8. & in litera S. n. 8.

2. Flagellum quoq; est lingue, à quo Iob. 5. 17. 21 abscondetur, qui à Domino corripitur, & eius increpationes non reprobat.

3. Ficta verba, de quibus 2. Petr. 2. 2. de magistris mendacibus qui celerem sibi perditionem inducunt, loquens, ait. *Et multi sequentur illorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur: & in*

auaritia

anaritia fictis verbis de vobis negotia-
buntur; quibus iudicium iam olim
non cessat: & perditio non dormitat.

4. Fornicariæ seminis lingua.
Isa. 57. 3. 4. vt litera S. num. 3.

5. Fraudem loquentia labia
malorum, de quibus Prou. 24. 1. 2.
Ne emuleris viros malos, nec deside-
res esse cum eis, quia rapinas medita-
tur mens eorum, & fraudes labia eo-
rum loquuntur.

6. Fraudulenta lingua diuitū.
Hinc Mich. 6. 12. Diuites repleti
sunt iniquitate, & habitantes in ea
loquebantur mendacium, & lingua
eorum fraudulenta in ore eorum. Plu-
ra litera M. num. II.

G.

G.

1. Gentium omnium pugnan-
tium contra Ierusalem lingua. De
qua Zach. 14. 12. vbi ita loquitur.
Et hac erit plaga qua percutiet Domi-
nus omnes gentes, que pugnauerunt
aduersus Ierusalem: Tabescet caro

uniuscuiusq³ stantis super pedes suos,
 & oculi eius contabescant in forami-
 nibus suis, & lingua eorum contabe-
 scet in ore suo.

2. Gigantū verba superba, pro-
 pter quæ Deus eos execratus est.
 Eccli. 16. 8. 9. Non exorauerunt pro
 peccatis suis antiqui gigantes, qui de-
 structi sunt confidentes sua virtuti, &
 non pepercit peregrinationi illorum,
 & execratus est eos pro superbia verbi
 illorum. Non misertus est illis, gentem
 totam perdens, & extolentem se in
 peccatis suis.

3. Gladius est lingua & labia
 malorum. Nam vt est Psalm. 56. 5.
 Filij hominum dentes eorum arma &
 sagitta, & lingua eorum gladius acu-
 tus. Et Psalm. 58. 8. Ecce loquentur
 in ore suo, & gladius in labijs eorum.
 Quem exacuerunt, Psalm 63. 4.
 Quia exacuerunt vt gladium linguas
 suas, intenderunt arcum rem ama-
 ram.

4. Glorificat Deum labijs tantum. Hinc Christus ipse, Matth. 15. 8. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Si milia habes, Marc. 7. 6. Ex Isa. 29. 13. desumpta.*

5. Grandia loquuntur, vti Dan. 7. 20. de Antichristi dicitur ore. *Os loquens grandia.* Vide literam A. num. 5.

H.

H.

1. Hæreticorum, quorum sermo vt cancer serpit. Vt, 2. Tim. 17. 18. qui & loquuntur superba. Vnde Iudæ 16. *Hi sunt murmuratores querulosi, secundum desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstus causa, quos vers. 13 vocauit sidera errantia. Vide plura litera O. num. 8. & litera F. num. 3.*

2. Hominis nequam, qui accendit ore ignem, de quo Eccli. 23. 22. *Anima calida quasi ignis*

ardēs, non extinguetur, donec aliquis
glutiat: & homo nequam in ore car-
nis suae non desinet donec incēdat igni.

I.

1. Ierusalem & Iuda lingua
contra Dominum, ideo ruit: sicut
enim dicitur Isa. 3. 8. Ruit enim Ie-
rusalem & Iudas concidit, quia lin-
gua eorum & adinventiones eorum
contra Dominum, ut provocarent oculos
maiestatis eius.

2. Ierusalem impugnantium,
quorum lingua tabescet, Zach. 14.
12. ut diximus litera G. num. 1.

3. Ignis in labijs impij, Prou.
16. 27. Vir impius fodit malum, & in
labijs eius ignis ardescit. Vnde &
D. Iacobus cap. 3. 6. inquit. Et lin-
gua ignis est, uniuersitas iniquitatis.

4. Immoderata, de quo Prou.
15. 4. Lingua placabilis, lignum vitae:
quae autem immoderata est, conteret
spiritum.

5. Impiorum os, Prou. 10. 32.

consideret peruersa, & cap. 12. 6.
 infidiatur sanguini, & cap. 15. 28.
 redundat malis, imo in quo Iob
 20. 12. malum dulce, quod Psalm.
 16. 20. locutum est superbiã, quod
 & operiet iniquitas, Prou. 10. 6. Et
 in eorundem ore nequissima pau-
 pertas, vt est Eccli. 13. 30. ac de-
 mum eorum ore subuertitur ciui-
 tas, Prou. 11. 11.

6. Impœnitentium in regno
 bestię & Antichristi, qui manduca-
 uerunt linguas suas præ dolore, sic
 enim scribitur Apocal. 16. 10. *Et*
quintus angelus effudit phialam suam
super sedem bestie. Et factum est re-
gnum eius tenebrosum, & commandu-
cauerunt linguas suas præ dolore, &
blasphemauerunt Deum cœli præ do-
loribus & vulneribus suis, & non ege-
ruunt pœnitentiam ex operibus suis.

7. Improperij verba, de qui-
 bus in conuiuio maximè cauen-
 dum, sic enim dicitur, Eccli. 31. 41.

42. In convivio vini non arguas proximum, & non despicias eum in incunditate illius: verba impropertij non dicas illi: & non premas illum in repetendo. Et cap. 41. 28. Cave ab amicis de sermonibus impropertij: & cum dederis, ne impropertes.

8. Imprudentis lingua, de qua varia scribuntur. Nam Eccli. 5. 15. Honor & gloria in sermone sensatis, lingua vero imprudentis subversio est ipsius. Et cap. 21. 28. Labia imprudentium stulta narrabunt: verba autem prudentium statera ponderabuntur, in ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientum os illorum. Et cap. 40. 32. In ore imprudentis indulcabitur inopia, & in ventre eius ignis ardebit. Vide plura in litera F. n. 1. & in litera S. num 8.

9. Inania verba, quibus non debemus decipi, D. Paulo sic ad Eph. 5. 6. dicente. Nemo vos seducat inanibus verbis; propter hac e-

*nim venit ira Dei in filios diffidentia.
Nolite ergo effici participes eorum.*

10. Indisciplinatum verbum,
in quo non debemus capi, ne con-
fundamur, secundum id, Eccli.
cap. 5. vers. 14. *Si est tibi intellectus
responde proximo: sin autem, sit
manus tua super os tuum, ne capia-
ris in verbo indisciplinato & confun-
daris.* Vide literam P. n. 2.

11. Indulcantes labia, de qui-
bus Eccli. 12. 15. *In labijs suis indulo-
cat inimicus: & in corde suo insidia-
tur, ut subvertat te in foveam.* Ibi-
dem plura alia de inimico.

12. Ingentia loquitur os An-
tichristi, Daniel. 7. 8.

13. Iniqua labia, vt autē ab illis li-
beretur, orat David, Psal. 119. 2. hoc
modo. *Domine libera animam meā
à labijs iniquis, & à lingua dolosa.
Quid detur tibi, aut quid apponatur
tibi ad linguam dolosam?* Respon-
det. *Sagittæ potentis acutæ cum*

carbonibus desolatorijs. Sic iniquis verbis prævaluerunt aduersus Dauidem. Psalm. 64. 4. Et Psalm. 40. 9. inquit Dauid. *Verbum iniquum constituerunt aduersum me.* Prou. 17. 4. *Malus obedit linguæ iniquæ, & fallax obtemperat labijs mendacibus.* A lingua verò iniqua Ecclesiasticus cap. 51. 3. liberatus fuit.

14. Iniustitiam tota die cogitans, de qua Psal. 51. 4. *Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua; sicut nonacula acuta fecisti dolum.*

15. Iniusti lingua, quam describit Dauid Psalm. 35. 4. *Verba oris eius iniquitas & dolus: noluit intelligere ut benè ageret.*

16. Inquietum malum. Iacob. 3. 8. de lingua loquens inquit. *Linguam nullus hominum domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus Deum & Patrem, & in ipsa maledicimus homines qui ad similitudinem Dei facti*

sunt.

*sunt. Ex ipso ore procedit benedictio,
& maledictio. Non oportet, fratres
mei, hac ita fieri.*

17. Iudæorum, quorum labia loquuntur mendacium, lingua iniquitatem fatur, propter quod facies Dei ab illis absconditur, nec oratio eorum exauditur. Hinc Isa. 59. 2. *Iniquitates vestrae diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis, ne exaudiret. Manus enim vestrae polluta sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate. Labia vestra loquuntur mendacium, & lingua vestra iniquitatem fatur. Propter illorum quoque sermones Deus iratus dicitur Moyse, Deut. 4. 21.*

L.

L.

1. Labijs honorant Deum, dū cor eorum longè abest ab eo. Mat. 15. 8. vt suprà litera G. n. 4.

2. Labor labiorum peccatorum, de quo Psalm. 139. 10. 11. *Ca-*

pat circuitus eorum, labor labiorum
ipforum operiet eos. Cadent super
eos carbones: in ignem deiciet eos: in
miserijs non subsistent.

3. Laquei sunt verba malo-
rum, Prouerb. 6. 2. Illaqueatus es
verbis oris tui, & captus proprijs ser-
monibus.

4. Linguosus, qui non diri-
getur. Vnde Psal. 139. 12. Vir lino-
guosus non dirigetur in terra, virum
iniustum mala capient in interitu. Id
quod latius probauimus suprâ ca-
pite 7. num 1. De quo etiam id Ec-
cli. 9. 25. verissimum est. Terribi-
lis est in ciuitate sua homo linguosus:
& temerarius in verbo suo odibilis e-
rit.

M.

M.

1. Magnificant linguas suas,
Psalm. 11. 5. Qui dixerunt: linguam
nostram magnificabimus, labia no-
stra a nobis sunt, quis noster Domi-
nus est?

2. Magni-

2. Magniloquam linguã, quam disperdet Dominus iuxta id, Psal. 11. 4. *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquã.* Vide literam D. n. 6. qualis est & lingua Antichristi, qui loquitur ingentia, Dan. 7. 8.

3. Malorum lingua, qua male locuti sunt de Deo, Psalm. 11. 19. Verùm attendendum ad id, Eph. 4. 29. *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad edificationem fidei, vt det gratiam audientibus.*

4. Maledici lingua & labia, cuius auditor est Deus, Sap. 1 6. *Benignus est spiritus sapientia. & non liberabit maledictum à labijs suis: quoniam renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus, & lingua eius auditor.*

5. Maledictio ex ore procedit. Iacob. 3. 10. vt litera I. n. 17.

6. Maligna verba, quibus Dio-

trepes garrit in D. Ioannem Apostolum. 3. Ioan. 9. *Scripsissem forsitan Ecclesia, sed is qui amat primum gerere Diotrepes non recipit nos, propter hoc si venero, commonebo eius opera qua facit: verbis malignis garruens in nos, &c.*

7. Malitiæ verba, contra quæ orans David, ait Psalm. 140. 3. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantia labijs meis. Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.*

8. Mendax lingua, quæ vna ex sex quæ odit Dominus, dicente Salomone Prou. 6. 16. *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius, oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, preferentem mendacia, testem fallacem. Et qui se-*

minat inter fratres discordias. De mendacis hominis lingua, Isa. 57. 3. 4. vt litera S. num. 3.

9. Mendacij labia, vide quæ ex Ierem. 9. 3. 5. diximus litera A. num. 8. quibus adde labia operantium mendacium, à quibus liberatus Ecclesiasticus cap. 51. 3. Quibus labijs mendacij operatur mali mala. Isa. 59. 3. Qui odium abscondit, Prou. 10. 18. Quibus obtemperat fallax. Prou. 17. 4. Quæ non decent principem, iuxta id Prou. 17. 7. *Non decent stultum verba composita, nec principem labium mentiens. Demum Prou. 12. 22. Abominatio Domino labia mendacia, qui autem fideliter agunt placent ei.*

10. Mendacij lingua, quam concinnat repentinus testis. Prou. 12. 19. *Labium veritatis firmum erit in perpetuum; qui autem testis est repentinus, concinnat linguam mendacij. Idem tradit cap. 21. 7. qualis sit*

qui

qui in illa colligit thesauros, sic dicens. *Qui congregat thesauros lingua mendacy, vanus & excors est, & impingetur ad laqueos mortis.* De Iudæis quoq; dicit David, Psalm. 77. 36. *Et duexerunt eum in ore suo, & in lingua sua mentiti sunt ei: cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habitusunt in testamento eius.*

ii. Mendacij sermones in his fraudulentus conatur perdere mites. Vnde Isa. 32. 7. *Fraudulenti vasa pessima sunt. Ipse enim cogit actiones concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacij, cum loqueretur pauper iudicium.* In talibus etiam confidunt Iudæi. Vide Ier. 7. 8. 9. 10. & infra num. 12.

12. Mendacij verba, quæ contingunt cor sensatum. Et Eccli cap. 36. 21. quæ locuti sunt Iudæi de corde. Ha. 59. 13. Quibus dicuntur acquiescere filij Israël, Exod 5. 9. Quæ, qui principes libentes

audiant

audiunt, omnes ministros habent
impios. Prouerb. 29. 12. In quibus
non debemus confidere iuxta id,
Ier. 7. 4. *Nolite confidere in verbis
mendacij, dicentes templum Domini,
templum Domini, templum Domini
est. Quia si bene direxeritis vias ve-
stras, & studia vestra: si feceritis iu-
dicium inter virum & proximum eius,
advena & pupillo, & vidua non fece-
ritis calumniam, nec sanguinem in-
nocentem effuderitis in hoc loco, & post
Deos alienos non ambulaueritis in ma-
lum vobismetipsis habitabo vobiscum
in loco isto. Quasi dicat tunc locus
hic templum meum erit. A quo ver-
bo mendacij confitetur Domino
se liberatum esse Ecclesiasticus, cap.
51. 7. Ac proinde etiam orat Salo-
mon, Prouerb 30. 8. dicens. *Duo
rogavi, ne deneges mihi antequam
moriar, vanitatem & verba men-
dacij longe fac a me. Mendacitatem
& diuitias ne dederis mihi: tribue**

tantam victum meo necessaria: ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam. Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periret nomen Dei mei.

13. Mentiens os occidit animam, Sap. 1. 11. Vide literam D. num. 1.

14. Meretricis labia, de quibus Prou. 5. 3. Favus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouissima autem illius amara quasi absinthium, & acuta quasi gladius biceps. Et quomodo vecordem iuuenem decipit labijs, describens cap. 7. 21. inquit. Irretiuit illum multis sermonibus, & blanditijs labiorum pertraxit illum, statim eum sequitur, quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuens, & ignorans quod ad vincula stultus trahatur: donec transfigat sagitta iecur eius, velut si avis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo anime illius agatur.

16. Mordentes labia, de quo Prou. 16. 30. *Qui accronitis oculis cogitat malum, mordens labia sua perficit malum.*

17. Multitudinis venientis, ex cuius ore exiuit flamma, 4. Efd. 13. 10. *Lingua enim nostra, Iacob. 3. 6. Maculat totum corpus, & inflamat rotam natiuitatis nostre, inflammata à gehenna.*

N.

1. Nefandi sermones, quos iactitant, qui sunt in præsidio Gazaram, 2. Mach. 10. 34.

2. Nequam lingua, quam non debemus audire, iuxta id Eccli. 28. *28. 29. Septi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & frenos ori tuo rectos.* Quare verò non audiendæ, eius plurimæ & grauissimæ sunt causæ. Nam vt est ibidem vers. 23. *Beatus qui rectus est à lingua nequam, qui in iracundiam illius non transiit, &*

N.

Nequã
lingua.

qui

qui non attraxit iugum illius, & in
vinculis eius non est ligatus: iugum e-
nim illius iugum ferreum est: & vincu-
culum illius, vinculum aereum est.

Mors illius, mors nequissima: & v-
tilis potius infernus quam illa, perse-
uerantia illius non permanebit, sed ob-
tinebit vias iniustorum; & in flamma
sua non comburet iustos. Qui relin-
quunt Deum, incident in illam, &
exardebit in illis, & non extinguetur,
& immitteretur in illos quasi leo, &
quasi pardus ladet illos. Sic de homi-
nis nequam lingua diximus ex Ec-
cli. 23. 22. supra litera H. num. 2.
& quomodo mali locuti sunt ne-
quitiam, litera C. num. 1. ex Psal-
mo 72. 8.

3. Nequam verbum, immu-
tabit cor. Sic Eccli. 37. 21. Verbum
nequam immutabit cor. ex quo qua-
tuor partes oriuntur; bonum & ma-
lum, vita & mors: & dominatrix il-
lorum est assidua lingua. Quod non

est iterandum iuxta id, Ecclesiastici. 19. 7. *Non iteres verbum nequam, & durum, & non minoraberis*

4. Nequam sermo, eodem fere spectat, quem sibi firmauerunt, Psalm. 63. 3. 6. malignantes & operantes iniquitatem.

5. Nequam serui os, de quo iudicabitur ipse, Luc. 19. 22. vt litera S. num. 5.

6. Nicanoris lingua blasphema, 2. Mach. 14. 33. in templum, & altare; de cuius lingua quid Iudas Machabæus egerit est capit. 15. 33. *Linguam autem impij Nicanoris precisam iussit particulatim aures dari; manum autem dementis, contra templum extendi.*

O.

1. Obscurus sermo, qui Sap. 1. 11. in vanum non abibit, vt liter. D. num. 2. diximus.

2. Odij sermones, quos exper-tus ab alijs David cum inquit. Psal.

108. 2. Locuti sunt aduersū me linguā
dolosā & sermonibus odij circumdede-
runt me: & expugnauerunt me gra-
tis. Pro eo ut me diligerent, detrabe-
bant mihi: ego autem orabam.

3. Onus est sermo vniuscu-
iusq; suus, vt ex Ier. 23. 36. & pul-
chro exemplo superius capit. 9. n.
3. demonstrauius.

4. Otiosa verba, de quibus
danda ratio Matth. 12. 36. vnicui-
que in die iudicij, de quo egimus
cap. 10. n. 2.

5. Os prauum, Prou. 4. 24.
vt litera P. n. 5.

P.

P. 1. Pacifica verba in dolo, quæ
locutus est Antiochus illustris in
Ierusalem cum Iudæis, 1. Ma-
chab. 1. 31. Sic Bachides & Alci-
mus cum Iuda Machabæo ad eum
à Demetrio rege missi, capit. 7. 10.
Sic Nicanor cum Iuda & fratribus
eius, ibidem vers. 27.

2. Peccati verbum, quòd est in indisciplinata loquela. Hinc Eccli. 23. 17. *Indisciplinata loquela non affuescat os tuum: est enim in ea verbum peccati.* De qua plura litera I. num. 10. Contra quam peccantiũ linguam orans David, inquit. Psal. 54. 10. *Præcipita Domine, & divide linguas eorum; quia vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate.* Et Psal. 108. 2. *Deus laudem meam ne tacueris; quia os peccatoris, & dolosi super me apertum est. Locuti sunt aduersum me linguã dolosã, & sermonibus odij circumdederunt me, &c.* Qui & percutere volunt Ieremiam linguã, Ier. 28. 18. *plaga autem linguæ comminuit ossa, vt ex Eccli. 28. 21. 22. diximus suprã cap. 18. n. 14.*

Peccati verbum.

3. Polluta labia populi. Vnde Isa. 6. 5. *Va mihi, quia tacui: quia vir pollutus labijs ego sum, & in medio populi, polluta labia habentis, ego habito, & regem Dominum exercituum*

vidi

vidi oculis meis.

4. Præcipationis verba, quæ diligunt, potentes iniquitate, lingua dolosa. Vt est Psalm. 51. 6. de quibus egimus suprâ liter. D. n. 6,

5. Præuam os, quod debemus à nobis amouere, iuxta id, Prou. 4. 24. *Remoue à te os præuam, & detrahentia labia sint procul à te.* Nam vt est cap. 10. 31. *Os iusti parituriet sapientiam, & lingua prauorum peribit.*

6. Prophetarum falsorum, de quibus, Ier. 23. 31. *Ecce ego ad Prophetas, ait Dominus: qui assumunt linguas suas, & aiunt: dicit Dominus, &c.*

R.

1. Rapinas meditantium os, Prou. 24. 2. vt litera F. num. 3.

2. Resistentium Domino lingua, quam iudicabit Dominus, de qua Isa. 54. 17. *Omne vas quod fictum est contra te, non dirigetur; & omnem linguam resistentem tibi, in iudicio iudicabis.* *Hac est hereditas seruatorum Domini; &*

Resistentium
Domino
lingua.

iustitia

iustitiæ eorū apud me: dicit Dominus.

3. Ranas quasi producens os,
de quo lit. D. n. 7. ex Apoc. 16. 13.

S.

1. Sagitta vulnerans Iudæorum
lingua. Ier. 9. 8. Sagitta vulnerans
lingua eorum, dolum locuta est: in ore
suo pacem cum amico suo loquitur, &
occulte ponit ei insidias. Nunquid non
super his non visitabo, dicit Dominus?
aut in gente huiusmodi non ulciscetur
anima mea?

2. Scelestia labia, quibus væ.
Eccli. 2. 14. Væ duplici corde, & la-
bijs scelestis, & manibus malefacien-
tibus, & peccatori terram ingredien-
ti duabus vijs.

3. Scelestorum filiorum lingua, Sceles-
de qua Isa. 57. 3. 4. 5. Vos autem ac- storū
cedite huc filij auguratricis: semen a- lingua.
dulteri, & fornicaria, super quem lu-
sistis? super quem dilatastis os, & eie-
cistis linguam? nunquid non vos filij
scelesti, semen mendax?

4. Semi.

4. Seminis adulteri, & fornicariæ, & mendacis linguæ. Isa. 57. 3. 4. 5. vt ante num. 3.

5. Serui nequam, de quo Luc. 19. 22. *De ore tuo te iudico, serue nequam: sciebas, quod ego homo austerus sum, &c.*

6. Simulatoris, qui ea decipit, Prou. 11. 9. *Simulator ore decipit amicum suum: iusti autem liberabuntur scientia.*

Stulti
labia.

7. Stulti labia, qui cæditur labijs, iuxta id Prou. 10. 8. *Sapiens corde præcepta suscipit: stultus cæditur labijs.* Et vers. 10. *Qui annuit oculo, dabit dolorem; & stultus labijs verberabitur.* Et Prou. 18. 6. *Labia stulti miscent se rixis; & os eorum iurgia pronocat.* Similiter Prou. 18. 7. *Labia eius ruina anima.* Et Prou. 12. 13. *Propter peccata labiorum ruina proximat malo.* De qua re plura diximus cap. 5. num. 1. Quæ labia si compresserit stultus, Prouer. 17. 18.

repu

reputabitur intelligens, cap. 30. n. 1. dictum.

8. Stulti os, de quo sic, Prou. 10. 14. *Sapientes absconderunt scientiam: os autem stulti confusioni proximum est.* Et cap. 14. 3. *In ore stulti virga superbia: labia autem sapientium custodiunt eos.* Cap. verò 15. 14. *Cor sapientis querit doctrinam: & os stultorum pascitur imperitia.* Et cap. 18. 7. *Os stulti contritio eius: & labia ipsius ruina anima.* Isa. 9. 17. *Stultitiam uniuersum os locutum est; ideo Deus non miserebitur.* Vide plura litera F. num. 1.

9. Verba stultorum, de quibus, Eccli. 10. 14. *Stultus verba multiplicat.*

10. Sublimis malorum sermo, de quo nobis cauens D. Paulus Col. 2. 4. inquit. *Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonis.*

11. Superbia verbi Gigantum

ob quam Deus eos est execratus. Eccli. 16. 8. 9. vt litera G. num. 2. quam & impiorum os locutum est, Psalm. 16. 10.

12. Superbum verbum, in quo non agas cogitationes tuas, secundum id, Eccli. 32. 16. *Age conceptiones tuas, & non in delictis, & verbo superbo.* Superba quoq; loquuntur hæretici, vt ex Iudæ 16. diximus, litera H. num. 1.

Susurronis
verba.

13. Susurronis verba, de quibus Prouerb. 26. 22. *Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad intima ventris.* De quo Leuit. 19. 16. *Non eris criminator, nec susurro in populo.* Et simile quasi omnino dicitur. Eccli. 5. 16. *Non appelleris susurro in vita tua, & lingua tua ne capiaris, & confundaris.* Capit. verò 21. 31. sic inquit. *Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur: & qui cum eo permanserit, odiosus erit: tacitus, & sen-*

satus honorabitur. Et cap. 28. 15. Sus-
surro & bilinguis maledictus; mul-
tos enim turbavit pacem habentes.
Et Prou. 26. 20. Cum defecerint li-
gna, extinguetur ignis: & susurrone
subtracto, iurgia conquiescunt. Ipse
verò non quiescet, quia tales digni
sunt morte, teste D. Paulo. Rom.
1. 32.

T.

1. Tædij verba, quæ loquun-
tur, qui debent reddere fœnus
tempore restitutionis, de quibus
Ecclesiastic. 29. 4. Multi quasi in-
ventionem aestimauerunt fœnus, &
prestituerunt molestiam his, qui se ad-
iuserunt. Donec accipiant, oscu-
lantur manus dantis, & in promif-
sionibus humiliant vocem suam. Et
in tempore redditionis postulabit tem-
pus, & loquetur verba tædij, &
murmurationum, & tempus causa-
bitur.

2. Temerarius, qui Eccli. 9.

Temeraria

25. in verbo suo odibilis erit, vir linguosus in ciuitate, terribilis, sicut dictum in litera L. n. 4. Et Eccli. 5.1. *Ne temerè quid loquaris, neq; cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo: Deus enim in cælo, & tu super terram: ideo sint pauci sermones tui. Multas curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus inuenietur stultitia.*

3. Tertia lingua, quæ multos commouit & multa mala peregit, vt ex Eccli. 28. 16. 17. 18. diximus superiùs cap. 18. n. 4. 10. &c.

4. Testificans lingua, quæ adducit mortem, Eccli. 28. 13. vt supra cap. 18. num. 2.

5. Tumentia labia, de quibus Prou. 26. 23. *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile, sic labia tumentia cum pessimo corde sociata.*

6. Turpis sermo, qui de ore nostro deponendus est, vt ex Col. 3. 8. superiùs c. 58. n. 13. tradidimus.

V.

1. Vana verba, de quibus Psal. 11. 3. *Vana locuti sunt unusquisq; ad proximum suum: Labia dolosa, in corde & corde locuti sunt.*

2. Venenum aspidum sub labijs malorum. Psalm. 13. 3. † 139. 4. Rom. 3. 13.

3. Ventosa verba, de quibus quærit Iob num habitura sint finem. Iob. 16. 3.

4. Viperæ lingua, quæ occidit diuitem. Iob. 20. 16. 4. *Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ.*

CAPVT LX.

Centum septendecim egregiæ qualitates, in labijs, lingua, ore, sermone & verbo bonorum imitatione digna, ordine Alphabeticò insertæ.

A.

1. Aaronis labia, quibus dedit gloriam Deo, iuxta Eccli. 50. 22. *Manus suas extulit in omnem congregationem filiorum Israël, dare glo-*

L 3

riam